



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Godeleva Mart. 6. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

populus, iniquis invidia oculis spectavit. Quare more suo subornavit, qui apud Archiepiscopum innocentiam ejus infimularent. Gemini erant è fraudibus & mendaciis compositi. Eos GOAR ad se venientes, ut vindictam Christianam sumeret, amicè accepit & ad mensam invitavit. Sed eadem invidia, quæ non nisi infelicitate GOARIS pasci, nec bibere nisi hujus sanguinem avebat, respuit aliis famem aut sitim pellerè. Quare ex itinere defecissent scilicet, nisi semper ad vindictam vigilans GOAR feras Christi imperio advocasset, & earum lacte recreatos hostes animam sibi fecisset debere. Ad tribunal Archiepiscopi ubi ventum, luce clariùs meridianâ apparuit innocentem esse GOAREM, quando pallium suum in ipsius solis radiis suspendit. Adhæc ex puero projectio cum jussu Archiepiscopi nomen parentis quæsiisset, ecce facundissimus infans linguâ digitoque ipsum Archiepiscopum prodidit. Erat hoc scilicet absolvere reum & Judicem damnare. Quare populus ad infulam GOAREM velle vocare, & cum respueret, vim amicam inferre. Sed ab hac iterum illum ægritudo absolvit, quam precibus à cælo extorsit. Præstare credidit morbo quàm ambitione laborare. *Ex Surio.*

Procul contentiones, procul lites, procul maledicta mitantur, & quia laqueus est mortis lingua susurronis & bilinguis, parcat unusquisque anima sua, ne in supplicium suum vincula sibi mortis innectat. Ama pacem & tranquilla sunt omnia. S. Pet. Chrysol. serm. 53.

S. GODELEVA MART. 6. Julii.

Quoties fallit Amor, positâque larvâ tyrannum se ostentat? Ecce hic etiam dies exemplum

plum oculis exhibet. Adverte animum quisquis blanditiis ejus credis neque fallacias caves. Deperibat GODELEVAM nobilem virginem nobilis item juvenis Bertulphus. Verum cum primum ex voluntate parentum domum Sponsam deduxit, amor ille omnis in odium degeneravit, & primam jam nocte aspectum non sustinuit ejus ferre, cujus absentiam mortem nuper crediderat. Quare vel enecare vel certè à sese abigere aggressus, non nisi unicum panem quot diebus dedit. At illa patientiâ ad omnes injurias obarmata, cum multa animi grati significatione accepit, & hunc ipsum cum pauperibus sibi communem esse voluit tam diu, dum fugam ad parentes nudis pedibus coacta fuit arripere. Cæterum cum sacri homines sese interposuissent, iterum domum GODELEVAM duxit Bertulphus, sed efferendam. Siquidem binis servulis ad omne scelus exercitatis, ut laqueo, dum ille domo abit, suffocarent innocentem, imperavit. Virtuti cælum pluribus portentis parentavit. Nam panes, qui sub funebrem diem in miseros erant spargendî, in furno numerum suum longè superaverunt. Aqua, in quam abjectum funus erat à parricidis, medicinam morbidis propinavit. Ipsa humus in loco supplicii egesta in lucidissimas gemmas abiit, ne amplius quisquam dubitaret pretiosam in conspectu Domini mortem Sanctorum esse. *Ex Suario.*

Libidinis vitium expelles, si orationi assidua incumbes & sobrietati; si mentem à malis cogitationibus cohibebis; si nullum proferes vanum verbum; si ad templum accedes frequenter; si mortem & diem Iudicii identidem recogitabis. S. Ephrem. de vit. spirit.